



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt presbyteri sine horariis non vadant. ci.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

hostis, quem à lectione siue ab oratione vacantem inuenērit, facildē ad vitia rapit. Per vsum nanq; lectionis discetis, qualiter & vos viuatis, & alios doceatis. Per vsum orationis, & vobis & his, quibus in charitate coniuncti estis, proficere valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis vnde necessitatem patientibus porrigatis.

*Vt presbyteri sine orariis non vadant. Cap. CI.*

*Ex cōcil.  
Mogūti.*

**P**resbyteri sine intermissione vtantur orariis, propter differentiam sacerdotalis dignitatis.

*Vt clericus artificio honesto victum quærat. Cap. CII.*

*Ex cōcil.  
Africa.  
cap. 51.*

**C**lericus quilibet verbo Dei eruditus artificio honesto victum quærat.

*De eadem re. Cap. CIII.*

*Ex eodē  
cōcil. ca. 3*

**C**lericus victum & vestitum sibi artificio vel agricultura absque officij sui duntaxat detrimento præparet.

*De presbyteris, matutinali officio expleto quid agere debeant. Cap. CIII.*

*Ex cōcil.  
Hamnet.  
cap. 60.*

**P**resbyter mane Matutinali officio expleto, pensum soluitutis suæ canendo Primam, Tertiā, Sextam, nonāque persoluat: ita tamen, vt postea horis competentibus & signis designantibus iuxta possibilitatem, aut à se, aut à secularibus publicè compleantur. Deinde peractis horis, infirmis visitatis, si voluerit ad opus rurale exeat ieiunus, vt iterum necessitatibus peregrinorum & hospitem, siue diuersorum commentium, infirmorum quoq; atque defunctorum succurrere possit vsque ad statutam horam, pro qualitate temporis & opportunitatis.

*De eadem re. Cap. CV.*

*Ex dictis  
Benedicti*

**P**ropheta dicēte, Septies in die laudem dixi tibi: Quod septenarius numerus à nobis sic implebitur, si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriæque tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus: quia de his dixit Propheta, Nam de nocturnis vigiliis idē ipse ait, Media nocte surgebam ad confitendum tibi, &c. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro, super iudicia iustitiæ suæ.